



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XXII. Quomodo Ioseph vocatus, ac Beatissimæ Deiparæ Sponsus effectus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

CAPVT XXII.

Quomodo IOSEPH vocatus, ac Beatissima Deiparæ Sponsus effectus sit.

His itaque, cogente quadam necessitate, præmissis; iam ad ipsum, diu expectatum, rei ordinem veniamus. Nescio, * ex qua causa, nisi * ex voluntate diuina nouimus accidisse, vt Frater noster, vasculum niuæ castitatis, à quibusdam Fratribus IOSEPH inciperet nominari. Tulit ægrè (sicut nobis ipse fatebatur) duorum valdè insignium virorum se nomine æquiuocò nuncupari: illius, videlicet, Patriarchæ eximij, qui erat sanctissimus inter fratres; & illius sanctissimi, qui ad hoc electus erat ex omnibus, vt esset ei Mater Domini desponsata. Causa autem molestiæ, quam pro hoc nomine in corde suo sustinuit, erat illa: quia in nulla virtute se illis similem inueniret, quorum vocabulo censeretur. Tan-

* Fortè ex qua causa factum sit. * quòd deesse videtur.

Vnde cepit IOSEPH nominari.

tum igitur, pro iniuste (vt asseruit) imposito sibi nomine, cordis incurrit angorem; vt, die sequenti, Fratres ipsum cognominantes proclamare proponeret in Capitulo corrigēdos. Nocte vero media, cū in consuetis orationibus & gratiarum actionibus vigilaret, stans in extremis sedibus, iuxta stallum Abbatis, & super formas, more solito, se inclinans; ecce, respexit in medio Chori, ad gradus Presbyterij, Virginem inenarrabilis pulchritudinis, regali schemate insignitam: duo iuxta illam iuuenes pulcherrimi, dextra leuaque videbantur assistere, quos esse Angelos intellexit, tantæ Dominæ paratos ministerium exhibere. Stante beato Fratre, mox beatiore futuro, & visionis nouitatem & dulcedinem admirante, vnum Angelorum audiuit ad alterum sic dicentem: Cui desponsabimus Virginem istam? Respondit alter: Cui desponsamus eam, nisi Fratri præsentî? At ille; Veniat ergo, inquit.
Vocatus

Vocatus processit cum pudore verecundiae: sed, sicut alibi dicitur, Pudor ipse decebat. tanta enim visorum & auditorum incredibili nouitate non potuit non stupere. Verum vbi vsque ad praesentiam Reginae processit, vnus illum Angelorum affatus est: Oportet, inquit, vt tibi haec puella clarissima desponsetur. Territus tanta dignatione Frater humilis & pudicus, indignitatem suam allegare coepit; & tanta sponsa & sponsi nomine se omnino proclamauit indignum. Cumque coepisset in obediendo morari; manum eius dexteram Angelus apprehendit, & manui sacratissimae Virginis copulauit, & sub his verbis desponsationem perfecit: Ecce, inquit, hanc Virginem tibi trado in sponsam, sicut fuit desponsata IOSEPH; vt nomen sponsi pariter cum sponsa accipias: & de cetero, IOSEPH erit nomen tuum. Quis calumniari praesumat, si factum est, quod promisit Angelus, veri Dei ve-

Beatissimam Virginem in sponsam accipit, & IOSEPH ab Angelo vocatur.

72 VITA B. IOSEPH
rus nuntius? In omnem terram iam
exiuit sonus nominis huius; & in fines
orbis terræ nomen IOSEPH, quod
ab Angelo vocatum est.

CAPVT XXIII.

*Puerum IESVM in visione portandum
suscipit, ac IOSEPHI nomen ei
confirmatur.*

ET si fortè sit aliquis, qui adhuc ali-
quid quærat adijci ad confirma-
tionem nominis IOSEPH; audiat
quod subnecto. Ipso IOSEPH veri-
tatem narrationis huiusmodi coram
me & quibusdam alijs Fratibus con-
fite, sicut superius protestatus sum,
gavisus me occasionem habere, vt ab
illius ore, quod ab alijs satis audieram,
extorquerem; (nam, sicut ait quidam,
*Et quamquam sapor est allata dul-
cis in vnda,
Gratiùs ex ipso fonte bibuntur aque.)*
extemplò subieci: Hoc etiam nobis
petimus